



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 1. An hoc sacramentum faciat ex attritio contritum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Responderi potest, ex parte absolutionis verum quidem esse, id enim conuincit argumentum: tamen peccati mortaliter, si ita fiat, & ex hac parte deesse in ipso poenitente attritionem necessariam in hoc sacramento ex defectu materie, quod est peccati in illo, vt infra dicam. Sed contra: nam fieri potest, vt poenitens excusetur a culpa per bonam fidem, putans se illo modo rite confiteri. Vnde fit, sacerdotem posse decipere poenitentem, vt hoc modo illi confiteatur, etiam si absens sit, & tunc valida essent confessiones, & absolutiones: quia malicia ministri non potest impedire essentiam vel effectum sacramento, dummodo habeat intentionem conficiendi illud: ex parte autem poenitentis excusatur malicia, seu indispositio per bonam fidem: ergo nihil potest impedire veritatem illius forme. Ad tollendum ergo hoc incommodum, & multa alia, quae ex eo sequi possent, conuenientius fuit, institutionem esse stabilem, & firmam, quod absolutio daretur in praesentia, & non admitti exceptiones propter raros euentus cum maiori incommodo ipsius sacramento. Praesertim cum eius necessitas tanta non sit, quin possit per votum in contritione inclusum suppleri. Quanta vero esse debeat haec praesentia, vel propinquitas inter poenitentem, & confessorem, morali & prudenti iudicio pensandum est, sicut in genere de sacramentis, & in simili quaestione de Eucharistia latius dictum est. Illa ergo propinquitas quae sufficit ad sensibilem designationem, & locutionem cum alio, ad huiusmodi formam valide, & efficaciter conferendam satis erit: nam, cum ratio huius praesentiae praecique fundetur in forma, ex illa etiam colligendus est modus eius.

14. Fundamento in contraria sententia sit

Ad fundamenta contrariae sententiae satisfactum sufficienter est: negamus enim talem fuisse Christi institutionem. Vnde enim id ostendi potest: cum nec scripta sit, nec tradita, sed potius Ecclesiae consuetudo contrarium ostendat: Negamus deinde illum modum institutionis fuisse magis congruentem multis enim rationibus & coniecturis oppositum ostensum est. Denique ad usum, qui referebatur, praeterquam quod est incertus, licet esset certus, non faceret fidem, cum paucorum sit, qui poterunt decipi, Theologorum, quos citauimus, auctoritate, & ita praecique excusari, in posterum autem iam non poterunt, vt dicam.

15. Quae censura ad qua sit punit opinio

Tandem etenim queri potest, quam censuram contraria opinio mereatur. Respondet, haec enim ego non audebam aliam inferre, praeter eam quae ex assertione sumitur (scilicet esse falsam) idque praecique propter auctoritatem Thomistarum antiquorum. Nunc autem verbis S. D. N. Clementis VIII. respondendum est. Ille enim auctoritate sua illi opinioni sequentem censuram apposuit speciali declaratione ad hoc facta die XIX. Iulij his verbis, S. D. N. &c. Re mature, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per literas, seu internuntium Confessorio absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, & prohibuit, praecipitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisve lectionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Et adiungit excommunicationem ipso facto incurrendam, & sibi reseruatam contra violantes hoc decretum, praeter alias poenas a iudicibus iniungendas.

16.

In quo decreto directe solum videtur Pontifex prohibere dicere, aut docere licitum esse absentem absolueri in aliquo casu, vel id facere: an vero, si fiat, factum teneat, non declarare. Credo tamen mentem eius fuisse hoc etiam declarare, & contrarium in eodem gradu damnare: tum quia in hoc sacramento haec duo per se non separantur: tum etiam quia hic erat cardo controuersiae: nam si ex se non

Fr. Suarez tom. 4.

licet, ideo est quia sacramentum non potest ita perfici. Quapropter neutrum licet iam opinari: neque illa opinione in praxi vti, etiam si fingatur quicumque casus extreme necessitatis, maxime propter hanc prohibitionem Pontificis: nam ita illam restringit illis verbis, Neque vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur. Quod fuit valde conueniens, ne vnus cuiusque arbitrio relinqueretur fingere casum necessitatis ad vtendum alia opinione tanquam probabili. Est igitur iam dicta sententia certa, in gradu a Pontifice definito.

DISPVATIO XX.

De interiori dolore ad substantiam, & effectum huius sacramenti necessario.



nter materiales partes huius sacramenti primum locum tenet contritio. Estque peculiare in hoc sacramento, vt haec pars materialis sit dispositio ad effectum eius: & ideo sub vtraque ratione est nobis consideranda, suppositis, quae de actu doloris in ratione virtutis supra tractauimus. Quamuis autem prior sit substantia sacramenti, quam effectus, tamen vt à notioribus procedam, incipiam ab effectu.

SECTIO I.

Virum contritio sit necessaria ad effectum huius sacramenti.

Quorundam sententia fuit, nullam formalem poenitentiam requiri ad hunc effectum, sed sufficere voluntatem consistendi, & recipiendi, absolutionem, dummodo poenitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhaereat: nam ipsa voluntas consistendi est quaedam virtualis poenitentia: quia est voluntas abiicendi peccatum, & recuperandi diuinam gratiam. Ita sentit Sylu. ver. Confes. l. q. 21. & tribuit Sot. qui in 4. d. 14. q. 4. art. 3. id clare affirmavit de baptismo: de poenitentia vero solum ait, quod licet homo accedat parum attritus, iustificabitur.

Quorundam sententia.

Syluest. Soto.

Hae vero sententia improbabilis est, & hoc tempore etiam temeraria: nam praeterquam quod repugnat omnibus aliis Theologis, & Doctoribus, vt referam, aperte videtur damnata in Concil. Trid. Nam sess. 6. c. 7. & 14. requirit ad remissionem peccati proprium dolorem poenitentis: etiam cum sacramento: & sess. 14. c. 4. concludit, Ecclesiam nunquam docuisse, aut sensisse sacramentum hoc dare gratiam sine proprio motu poenitentis. Et fundamentum iumentum est ex his, quae supra dixi de necessitate interioris poenitentiae: nam illa necessitas non est ablata in lege noua, cum in illa etiam praedicata sit, & ad baptismum etiam requisita, vt late probaui superiori tom, disp. 28. sect. 1. Nec vero satis est, vt quidam aiunt, quod poenitens displicentiam habeat quod de peccato non dolet. Quod significauit Palud. d. 17. qu. 1. art. 5. & Nau. in Summa cap. 21. n. 1. & cap. 10. num. 4. quia, si illa displicentia est efficax: non erit sola, sed secum afferet dolorem de peccato, si vero solum sit quaedam velleitas, non sufficit ad mutandam voluntatem, & consequenter; neque ad veram poenitentiam. Quod si fortasse homo sit attritus, & habeat illam displicentiam: quia non est contritus, dispositio, vt dicemus, erit sufficiens ratione attritionis, velleitas autem illa parum conferet.

Improbatur.

Non sufficit displicentia negatiua peccati ad sacram. recipiendum, sed positiva Palud. Nauar.

)(

Z

Qualis

Qualis & quanta esse debeat formalis penitentia peccati ad sacramenti effectum.

Prima sententia.

Magist. 4. d. 28. Et ibi Bonnav. art. 2. q. 1. Hug. de S. Victor. in Sum. sent. tractat. 5. c. 11. Richar. de S. Victor. de potest. solvend. Et ligand. c. 12. Alexander Alens. 4. p. q. 2. m. b. 1. Et 2. alias q. 77. m. b. 5. art. 7. Al. isidor. lib. 4. Sum. art. 6. cap. 6. A. bulens in i. p. sus. Dofen. sorij. cap. 6. Gabriel. Maior. Supplem. Gabriel. Medina. Adrian. Retr. Sor.

Secunda sententia.

Henric. Caietan. Ferrar. Adrian.

Hoc ergo fundamento supposito, videlicet aliquem actum formalis penitentiae esse necessarium ad effectum huius sacramenti, grauis difficultas est qualis, & quanta esse debeat haec penitentia. In qua difficultate plures sunt Theologorum sententiae. Prima requirit verum, & perfectum motum contritionis. Quae duobus modis asseritur. Primus est, hunc motum ita esse necessarium, vt si in re ipsa non habeatur, etiam si poenitens bona fide accedat, putans se esse contritum, nihilominus non iustificetur, quamuis in eius susceptione non peccet. Hanc opinionem tenent Magister sentent. Hugo, & Richardus de S. Victore, Alens. & Bonaventura, quos supra disputatio. 13. citauit. Qui negant potestatem clauium extendi ad remissionem culpae mortalis. Hug. de S. Maxime vero defendit hanc sententiam Gabriel in 4. d. 14. qu. 2. not. 2. & art. 2. & d. 18. q. 2. art. 2. & Maior eisdem locis, Supplementum Gabr. d. 23. qu. 2. art. 2. Medina tract. 2. de Confess. sicut iter. & qu. de effectu absoluit. Adrianus q. 1. de Confessione, licet quodlib. 5. art. 3. dubius sit. Petr. Soto lect. 7. de Poenit. & 4. de Confessione.

Fundamentum est, quia contritio, ex lege conaturali gratiae, est medium necessarium ad salutem, vt supra tractando de virtute poenitentiae ostensum est: lex autem gratiae non destruit naturam, sed perficit: non ergo abstulit medium necessarium: ergo etiam post institutum sacramentum poenitentiae, non potest auferri peccatum, sine vera contritione. Et explicio vim rationis hoc modo, quia non obstante institutione huius sacramenti, poenitentia interior est necessaria ad remissionem peccati, quod non aliunde colligimus, nisi quia Scriptura sacra hanc poenitentiam postulat, vt necessariam: sed poenitentia interior, quam Scriptura petit, est vera contritio, tum quia attritio nunquam per se fuit necessaria, vt supra dixi: tum etiam, quia Scriptura, cum necessitatem poenitentiae praedicat, loquitur independentem ab hoc sacramento. Denique requirit perfectam cordis conuersionem: ergo necessitas huius poenitentiae perfecta manet etiam post institutum hoc sacramento. Et confirmari hoc potest, nam qui semel peccauit mortaliter, dilexit creaturam plus quam Deum: ergo donec eius voluntas ita mutetur, vt diligat Deum plus quam creaturam, semper manet moraliter in eodem affectu prior: ergo manet incapax gratiae, non enim potest iustificari, qui moraliter plus diligit creaturam quam creatorem. Et hic possent afferri testimonia Patrum dicentium sine charitate neminem iustificari, quae supra suo loco adduxi, & habentur multa de Poen. d. 2. apud Gratianum.

Secunda sententia principalis est, contritionem quidem esse per se necessariam, vt licite recipiatur hoc sacramento, & consequenter etiam ad effectum eius: nihilominus tamen aliquando posse sufficere ad effectum huius sacramenti solam attritionem praeniam ex parte poenitentis ad confessionem accedentis: non quia hoc sacramentum iustificet huiusmodi hominem manente in illo sola attritione, sed perficiendo in illo ipsum interiorem motum poenitentiae, excitando & faciendo vt ex attritione transeat in contritionem, siue perficiendo eundem actum, siue efficiendo, vt homo ex actu imperfecto transeat ad perfectum. Et hoc modo aliqui auctores tribuunt huius sacramento efficaciam faciendi hominem ex attrito contritum, per immutationem ipsius actus attritionis. Ita sentiunt Henric. quodlib. 3. quaest. 32. Caietan. sup. quaest. 84. artic. 3. Ferrar. 4. contra Gent. 6. 72. & idem videtur sensisse Adrian.

A quaest. 1. de Poenit. art. 2. in fine, licet quodlib. 5. artic. Petr. Soto, 2. dubius sit: inclinatur etiam Petrus Soto lect. 8. de confessione.

Haec sententia duobus principiis niti videtur. Primum est, hominem in peccato mortali existentem nunquam iustificari sine vera contritione: quod probari potest argumentis primae sententiae, & aliis etiam, quibus probari solet ab aliquibus hominem non posse iustificari, etiam de potentia absoluta, sine interiori motu poenitentiae, vel amoris Dei, nam illa, vel nihil probant, vel concludunt necessarium esse motum contritionis, vel amoris super omnia. Secundum principium est hoc sacramento posse hominem efficere ex attrito contritum: quod nunc supponimus vt certum, infra vero probabitur. Ex his enim euidenter sequitur, non posse aliter hoc efficere, quam immutando attritionem in contritionem, quia non potest id facere per solam extrinsecam informationem gratiae iuxta prius fundamentum: non superest autem alius modus quo id fieri possit. Deinde, hic modus est possibilis, non enim inuoluit contradictionem: est etiam valde perfectus, nam exaggerat efficaciam sacramenti, nam supplet in homine defectum eius, supplet autem illum modo perfecto, efficitque iustificationem modo illi conaturali, & aliunde non fouet hominum negligentiam in procuranda vera contritione, nam potius ab eis requirit, vt quantum in ipsis est, ad hoc maxime attendant in ipsa actuali susceptione sacramenti, ne praedictus effectus eius impediatur, ergo.

Tertia sententia principalis est, esse quidem necessariam contritionem, per se loquendo, ideoque semper esse necessarium, vt homo bona fide accedat, putans se esse contritum, ad hoc saltem, vt excusetur ab actuali peccato, quod committeret, si sciens, & videns in statu peccati mortalis, ad recipiendum sacramentum accederet, existente autem hac bona fide, accidere posse, vt homo cum sola attritione in re ipsa existente, & durante iustificetur, atque ita fiat ex attrito contritum, non per mutationem ipsius actus, sed per solam habituum infusionem. Iuxta hanc ergo sententiam sola attritio in re est sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti, homo vero ipse habet praecipuum accedendi cum contritione. Hanc opinionem tenuit Victor in relect. de Potestate Ecclesiae qu. 2. Soto lib. 2. de Nat. & grat. c. 15. & in 4. d. 18. q. 3. art. 2. in fine, vbi in hoc constituit differentiam inter sacramentum Baptismi, & poenitentiae, cuius nullam sufficientem rationem assignat, vel assignare potest. Tenuit etiam Ledesma 2. p. 4. q. 20. art. 1. Vega lib. 13. in Tridentinum cap. 34. ad 3. obiectionem. Corduba lib. 1. qu. Theolog. qu. 2. opin. 3. in 2. puncto illius, & opin. 4. qui bene declarat, quacumque ratione homo excusetur ab actuali peccato, siue per ignorantiam facti, vt quia putat se esse contritum, vel per ignorantiam iuris, vt quia inuincibiliter credit se licite accedere cum sola attritione, consequi effectum sacramenti. Atque hoc forte sensit Nauarr. in Summa. cap. 1. nu. 30. vbi quoad hoc sequitur opinionem Soti: statim vero n. 42. ita eam explicat, vt dicat, attritionem solam non sufficere cum sacramento ad iustificationem, nisi vel putetur esse contritio, vel saltem futura talis, munita calore absolutionis sacramentalis: quod amplius non declarat: & potest explicari iuxta secundam sententiam, vel etiam iuxta interpretationem Cordubae, nimirum, quod requiratur attritio cum probabili existimatione, quod illa sufficiat ad consequendam iustificationem per sacramentum. Quod quidem in re verum est, non tamen iuxta mentem horum auctorum, vt explicabimus.

Fundamentum huius sententiae est, quia in primis conuenit cum praecedenti, hoc sacramento facere aliquando ex attrito contritum: negat autem hoc facere per intrinsecam mutationem actus, propterea, quae

Vide Rich. in 4. d. 22. art. 2. q. 1. in corpore. Et ad 2. Ca. prelo. in 4. d. 17. q. 1. art. 3. in fin.

Tertia sententia.

Victor in relect.

Ledesma Vega. Corduba. Nauarr.

Vide Dond. d. 17. q. 13. nu. 5.

Roman. 2. p. d. 15. art. 2. q. 4. & Rector. ar. 2. q. 8. ad 5.

quæ postea afferemus. Aliunde vero supponit, tē- neri hominem ex præcepto accedere contritum ad hoc sacramentum: suscipiendum quod potest esse, vel ex naturali præcepto contritionis, quod non est sublatum per institutionem huius sacramenti, saltem per se loquendo: vel ex naturali præcepto, quo tenemur sancta sancte tractare: ac propterea non accedere scienter ad sacramentum suscipiendum in statu peccati mortalis: vel denique ex speciali præcepto pertinente ad hoc sacramentum, quia in eo debet fieri accusatio exterior quæ procedat ab interiori proportionata: sed exterior confessio debet esse de peccato, quatenus offensâ Dei est: ergo per se requirit interiorem dolorem de peccato, quatenus offensâ Dei est, ergo per se loquendo requirit contritionem ex proprio, & speciali præcepto. Et ideo, qui sciens & videns sine illa confitetur, indignè confitetur, & eo ipso grauitèr peccat: ideoque non potest effectum sacramenti consequi: si autem, propter ignorantiam à peccato excusetur, iam non ponit obicem sacramento, ideoque obtinebit effectum.

Quarta sententia. D. Thom.

Quarta sententiâ est, vt hoc sacramentum conferat effectum suum, sufficere veram, & integram attritionem peccatorum, siue illa cognita sit, siue non. Ita tenet D. Th. in 4. d. 17. q. 3. art. 5. q. 1. & d. 18. q. 1. art. 3. q. 1. vbi in hoc æquiparat hoc sacramentum baptismi, & d. 22. q. 2. art. 1. q. 3. & d. 24. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. & Opusc. 22. c. 2. ad 7. & expresse in 3. p. q. 80. art. 4. ad 2. vbi constituit discrimen inter baptismum, & penitentiam ex vna parte, & Eucharistiâ ex alia: nam baptismus & penitentia sunt quasi medicina purgatiua, quæ dantur ad tollendam febrem peccati: Eucharistiâ vero est medicina confortatiua, quæ non datur nisi liberatâ à peccato. In quo plane sentit, penitentem esse absoluentem, etiam si confiter non dum esse liberatum à peccato, dummodo sit sufficienter attritus. Idem sentit Scotus in 4. d. 14. quæst. 2. art. 3. dum ait, quod licet penitens accedat parum attritus, iustificatur vi sacramenti. Clarior tenet hanc sententiam Palud. in 4. d. 19. q. 1. art. 2. & d. 17. q. 8. vbi idem sentit Capreolus art. 7. ad 4. Durandi Adrianus materia de Confess. q. 5. sub 5. Anton. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 5. Syluest. Confessio 1. q. 21. & Contritio 1. quæst. 1. Ruardus art. 3. non longe à principio, & Cano Relect. de Penit. p. 5. ad 2. Atque hanc sententiam omnino veram esse censeo: est tamen per partes explicanda, & confirmanda.

Sent. Palud. Capreol. Adrian. Anton. Syluest. Ruard. Cano.

Hoc sacramentum iustificare hominem solum attritum, & illum contritum reddere. Prima Conclusio.

Deo ergo primo: Sacramentum hoc habet virtutem ad iustificandum peccatorem per solam veram, supernaturalem, & integram attritionem dispositum: & in hoc sensu efficaciam habet ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc conclusionem existimo hoc tempore adeo certam, vt non possit absq; errore negari, loquendo, vt loquimur, absolute de efficacia, abstrahendo à modo quo id fit. Et probatur primo ex Concil. Trid. sess. 14. cap. vbi de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, declarat. Quia sine sacramento penitentia per se perducere peccatorem ad iustificationem queat, tamen eam ad Deigratiam in sacramento impetrandam, disponere. In quibus verbis obseruandum est, Concilium loqui de dispositione vltima per se sufficiente cum sacramento. Quod probari potest primo ex phrasi locutionis. Simili enim modo dixerat idem Concilium paulo superius in eodem capite, Contritionem fuisse omnino tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, cum tamen constet fuisse necessariam, vt dispositionem vltimam. Secundo probatur, quia, si esse

Fr. Suarez. tom. 4.

set sermo de dispositione remota, etiam extra sacramentum disponit attritio ad impetrandam Dei gratiam. Concilium a. expresse dicit, aliter disponere intra sacramentum, quam extra: ergo intelligit respectu sacramenti non esse solum remotam, sed proximam, seu vltimam dispositionem. Imo, cum Concilium ait, attritionem per se ad iustificationem non sufficere, & subdit, in sacramento disponere ad impetrandam gratiam, plane intelligit per se in ratione dispositionis sufficere respectu sacramenti: ergo & contrario docet etiam Concilium, habere hoc sacramentum efficaciam ad dandam gratiam sanctificantem (de hac n. loquitur) atq; adeo ad iustificandum peccatorem per solam attritionem dispositum.

Secundo hoc probatur ex fine, & institutione huius sacramenti: est enim per se institutum ad iustificandos homines baptizatos à morte peccati, & ideo dicitur sacramentum mortuorum, sicut baptismus: ergo accepit vim ex institutione ad conferendam gratiam primam, & expellendam peccatum mortale: alioqui nec esset medium proportionatum fini, nec recepisset virtutem illi accommodatam: ergo ad suam efficaciam, & actionem non requirit necessario, quod peccatum sit iam expulsum. Alioqui nunquam posset facere effectum propter quem institutum est: vana autem esset medicina instituta ad tollendum morbum, quæ non posset illum auferre, si non supponeret illum ablatum: ergo sacramentum hoc ad suam actionem non postulat contritionem, vt necessariam dispositionem præuiam, alioqui supponeret semper, ac necessario peccatum ablatum: ergo sufficit hoc sacramentum cum sola attritione ad gratiam dandam, & peccatum expellendum. Atque hoc etiam confirmant, quæ supra dicta sunt de potestate clauium ad remittenda peccata. Ostendimus enim, potestatem hanc talem esse, vt se extendat ad culpam tollendam, vt verba Christi præ se ferunt: quod non esset verum, si actio huius potestatis supponeret semper peccata remissa per contritionem.

ii. Probatur conclusio ex fine & institutione sacramenti.

Nec enim satis est dicere, contritionem includere ordinem ad actum huius potestatis, & per hunc actum, quasi consummari priorem effectum remissionis peccati collate per contritionem, & hoc modo operari illam potestatem ad remissionem ipsius culpæ. Hoc n. sufficere refellitur ex dictis supra de sensu & efficacia forme huius sacramenti: quia illud re vera non esset remittere peccatum, neq; absoluerè à culpa, si sacramentum non haberet actionem aliquam de se expulsiuam culpæ, sed esset tantum vel declarare absolutum, vel absoluerè solum ab obligatione confitendi. Nec etiam satisfacit, quod alij dicunt, contritionem ipsam esse partem sacramenti, & in voto eius remittere culpam, & hoc satis esse, vt sacramentum sit institutum ad hunc effectum, quamuis non conferatur vnquam, sine ipsa contritione. Præsertim, quia possunt aliquando contritio, & absolutio simul concurrere; & tunc etiam absolutio per se ipsam operabitur ad remissionem peccati. Hoc, inquam, non satisfacit, nam, vt Concilium Tridentinum dixit, præcipua vis huius sacramenti in verbis formæ posita est: vnde, antequam illa proferratur, non confertur effectus huius sacramenti ex opere operato: quod etiam ex cæteris sacramentis videre licet. Vnde contritio, prout antecedit hoc sacramentum, & iustificare dicitur in voto sacramenti, non confert ad remissionem peccati ex opere operato, & virtute clauium, sed ex dispositione operantis, sicut ante institutionem huius sacramenti iustificabat: ergo ex hoc non saluatur, quod peccatum ipsum remittatur virtute clauium. Deinde parum refert, quod contritio, & absolutio possint simul concurrere, tum, quia illud est rarissimum, & moraliter vix potest contingere. Tum etiam, quia, si talis contritio supponitur saltim ordine naturæ ad

ii. Præcluditur eiusdem ratio alia impugnans.



efficaciam ipsius sacramenti tanquam dispositio praevia, nullum remedium datum est per institutionem huius sacramenti ad facilius obtinendam remissionem peccati, sed potius additum est onus, semperque ipsa remissio culpa supponitur saltem ordine naturae ad actionem sacramenti. Tum denique quia veritas formae non fundatur in hoc, quod contritio cum illa concurrat, sed in hoc, quod ipsa habet vim ad iustificandum hominem: ergo habet hanc vim, etiam si non supponat dispositionem per se sufficientem ad tollendam culpam.

Hoc sacramentum conferre gratiam homini attrito sine mutatione interni doloris.

Concl. 2.

Dico secundo: Hoc sacramentum confert gratiam homini attrito immediate, & absque immutatione intrinseca, seu perfectione interioris doloris: unde attritio manens intrinsece attritio est sufficiens dispositio proxima ad effectum huius sacramenti: & tunc solum dicitur homo fieri contritus per informationem gratiae habitualis. Haec assertio non est tam certa, sicut praecedens, est tamen ita certa, ut contraria non sit probabilis. Primo, propter testimonium Conc. Tridentini, quod, ut probavi, loquitur de dispositione ultima. Responderi potest, loqui quidem de dispositione ultima, non tamen immediata gratiae habituali, sed actioni sacramenti, quod non solum habituales gratias, sed etiam contritionem dat homini attrito. Sed contra hoc est primo, quia Concilium non dicit, attritionem disponere in sacramento ad impetrandam contritionem, sed ad impetrandam Dei gratiam. Deinde, Concilium loquitur de impetratione infallibili, qualis est illa, quae confertur per efficaciam sacramenti: per attritionem vero impetrari contritionem in sacramento, non solum infallibile non est, verum etiam est rarissimum, posset enim haec mutatio experimento agnosci, vel saltem coniectari: rarius autem vel nullus est, qui in se experiatur hanc mutationem specialiter, ac praecise ex vi absolutionis. Item doctrina Concilii generalis est in omnibus: multi autem absolvi possunt vere attriti, qui non possunt ad contritionem excitari: ergo vel in eis non habet locum doctrina Concilii, quod dicendum non est, vel asserendum est, iuxta Concilii mentem, attritionem per se sufficere ad impetrandam gratiam sanctificantem immediate in sacramento, & per sacramentum.

Praeterea supra ostensum est, actum ipsum contritionis, vel amoris, vel alium similem, qui requirit consensum liberum nostrae voluntatis, non posse esse infallibilem effectum ex opere operato, quia sacramentum non determinat efficaciter nostram voluntatem ad consensum, sed ad summum posset dari infallibiliter ratione sacramenti aliqua gratia excitans sufficiens, quantum ex parte Dei: at Concilium non loquitur de gratia excitante, sed sanctificante, ut ostendimus. Neque illa excitatio posset esse semper, & in omnibus congrua, & efficax, ex generali lege sacramenti, quia haec est univocis: & aequalis respectu omnium, supposita aequali dispositione: vocatio autem eadem saepe est congrua & efficax respectu unius, & non respectu alterius: gratis autem & sine fundamento diceretur, dare Deum omnibus, & singulis accedentibus ad hoc sacramentum cum sola attritione auxilium unicuique congruum ad contritionem, etiam si varium & multiplex illud sit, cum de hoc nulla extet promissio, neque sit consecratorum generali institutioni sacramenti.

Praeterea potest haec sententia probari ex August. Epist. 80. & ex multis decretis: quae referuntur 26. q. 6. & in sequenti disp. a nobis tractabuntur: in qui-

Abus asseritur, aeternam salutem peccatoris interdum pendere ex absolutione sacerdotis, re ipsa exhibitae: ideoque sacerdotem, qui eam indiscrete negat homini existenti in extrema necessitate, vel negligens est in subveniendi illi per absolutionem, saepe esse posse causam damnationis eius. Haec enim vera esse non possunt, nisi quia hoc sacramentum aliquando confert gratiam & remissionem peccati, sine qua homo damnaretur. Nam si ante absolutionem, & eius effectum semper esset supponenda contritio, iam homo haberet gratiam ante absolutionem, ergo, quantum non absolueretur, non propterea damnaretur, & consequenter ob eam causam sacerdos dici non posset reus animae eius. Neque possunt hi Patres explicari de gratia contritionis, & remissionem peccati, quae mediante illa datur: quia loquuntur saepe de poenitentibus, qui iam sunt in eo extremo articulo constituti, in quo amentes, aut furiosi iam sunt, vel omni sensu carent, qui perfecte non possent nisi miraculose per sacramentum excitari ad poenitentiam, seu contritionem: ergo, ut verum sit, hunc hominem damnari ob non datam absolutionem, necesse est ut per absolutionem possit dari gratia, absque interventa contritionis: nam, si talis homo erat contritus, non condemnabitur, etiam si non absolueretur, si vero erat tantum attritus, quantum absolueretur, non saluabitur, nisi absolutio possit dicto modo gratiam conferre. Imo etiam sequitur, si contingit (quod in praxi potest saepe evenire) sacerdotem in principio confessionis intelligere poenitentem solum esse attritum, & ex timore poenitentem tantum dolere, & interim huiusmodi poenitentem amittere sensum & usum rationis, inquam possit ad contritionem excitari: sequitur, inquam, tunc sacerdotem non posse licite illum absolvere, quia non potest illum iustificare, cum non possit ad contritionem excitare, nec possit licite, aut debeat, expectare miraculosam aliquam excitationem: consequens autem valde absurdum est, & in praxi periculosum.

Praeterea argumentor in hunc modum, quia attritio ex doctrina Concilii est ultima & sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti: sed non est ultima dispositio ad contritionem: ergo est ultima dispositio ad infusionem gratiae habitualis. Probatur minor (caetera enim clara sunt) cum ex dictis circa explicationem Concilii: tum etiam, quia ultima dispositio ad effectum sacramenti, per se loquendo, non destruitur per actionem ipsius sacramenti, sed manet in eodem instanti in quo perficitur sacramentum, & datur effectus eius: ergo attritio quando est dispositio ad effectum huius sacramenti, non destruitur per actionem eius, sed manet, seu manere potest, quantum est ex parte ipsius sacramenti: quod maiori ratione in hoc sacramento verum est, quia non solum est dispositio ad effectum, sed etiam materia, ex qua intrinsece componitur ipsum sacramentum: ergo per se non est dispositio ad ipsam contritionem. Patet consequentia, quia contritio excludit attritionem, quia neque idem actus, qui erit attritio, potest fieri contritio, ut supra ostensum est, nec voluntas potest simul & in eodem instanti, perseverando in motu attritionis, motum contritionis elicere: neque intellectus potest simul attendere ad motum adeo diversum, & cum ea efficacia, quae necessaria est ad perfectam contritionem elicendam: quod saltem de possibilitate practica & morali videtur manifestum.

Responderi potest primo, attritionem non posse fieri contritionem intrinsece & ex proximo motivo, tamen posse fieri contritionem extrinsece, per informationem charitatis, non solum habituales, sed etiam actualis, ut in superioribus explicatum relinquimus. Sic ergo dici potest quando quis vere attritus absoluitur, in instanti quo perficitur forma sacramenti excitari

Evasio ad locum Concilii diluitur.

Ex August. sententia probatur in concilio.

Ratio probatur assertio.

Ratio

Evasio

Eluduntur

vitari ad habendum amorem Dei super omnia, atq; ita perfici in eo contritionem per veram conversionem in Deo ex toto corde, prius saltem natura quam iustificetur per habitum infusionem. Sed hæc responsio, licet impossibilis forte non sit, est tamen voluntaria, quia nulla potest ostendi promissio talis effectus, neq; auctoritas in qua fundetur: & præterea est moraliter difficilimum, quod dum homo habet actualem attritionem & considerationem alicuius motui inferioris, in quo illa fundetur, simul erigatur ad considerandum Deum secundum se, prout necessarium est ad illum propter se super omnia amandum.

A necessariam esse, & propter tollendum obicem, & propter veram accusationem faciendam: ad hos autem fines sufficit attritio: & ideo non est exigenda contritio contra vim & efficaciam talis potestatis. Vnde ad ultimam confirmationem primæ sententiæ respondetur, peccatorem non necessario supponi ad hoc sacramentum diligentem Deum super omnia, sed per ipsum sacramentum effici, & confitui sic diligentem Deum: non actu, ut secunda opinio dicebat: sed habitu, qui habitus à Deo infusus sufficit ad tollendam illam maculam, & moralem permanentiam prioris peccati, ratione cuius dicebatur peccator diligere creaturam plus quam Deum. Et hoc modo sufficienter intelliguntur testimonia omnia, quæ dicant, sine charitate neminem saluum fieri. Congruentis vero, quæ in fine secundæ sententiæ addebatur, quod ille modus iustificationis per sacramentum, mutando attritionem in contritionem, est possibilis, perfectissimus, &c. parum suadet: quia, quidquid sit de implicatione contradictionis, ille modus vix est humano modo possibilis, neque etiam iuxta generales leges sacramentorum, ut explicatum est. Deinde est ille modus nimis rigorosus, alius autem est suavior, magisque commendat misericordiam Dei in peccatores.

*Satisfit ut
tim. a confit
mationi
primæ senten
tentiæ.*

*Congruentia
tæ secun. dæ
opinionis ra
spondetur.*

*Attritionem cognitam esse sufficientem dispositio
nem ad effectum huius sacramenti.*

ASSERTIO III.

C Deo tertio, vera & integra attritio est sufficiens dispositio ad effectum huius sacramenti: quamvis sit cognita; neque oportet illam reputare contritionem, ut effectus conferatur. Hæc assertio est minus certa quam præcedentes: tamen censo esse longe probabiliorem quam oppositam, & hoc reitipore practice certam. Fundamentum eius esse debet, quia post institutionem huius sacramenti nullum extat præceptum negatiuum, non accedendi ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, nisi post veram contritionem: nam, secluso hoc præcepto, evidens est, existimationem contritionis necessariam non esse, nec per se quidquam conferre ad effectum huius sacramenti. Probat, quia existimatio contritionis, quæ vera non est, per se nihil boni affert homini, nam potius est quoddam malum, cum sit error quidam: vnde per se non auget dispositionem poenitentis, cum nec sit in voluntate, nec perficiat dolorem eius: solum ergo posset deferuire ad excusandum hominem à culpa committendi contritionem, vel accedendi sine illa: secluso autem tali præcepto, non indiget homo tali excusatione, quia iam non erit contra præceptum omittendi contritionem, seu accedendi ad hoc sacramentum sine illa: ergo non erit peccatum, etiam si ex certa scientia id fiat: ergo propter excusationem à peccato, non est necessaria hæc existimatio: ergo sine illa obtinebitur effectus sacramenti: quia, si illa nec per se disponit, nec tollit impedimentum, non est cur sit necessaria.

28.

E Superest ut probemus non dari tale præceptum negatiuum non accedendi ad hoc sacramentum cum conscientia mortalis sine contritione. Quod ita ostenditur, quia vel illud præceptum ex natura rei consequitur ex institutione huius sacramenti, vel specialiter est additum à Christo Domino (Ecclesia enim per se id addere non potuisset, cum sit de actu mere interno) neutrum autem illorum dici potest. Probat prior pars, nam potius ex institutione huius sacramenti loquitur, non esse necessariam contritionem, ut digne & laudabiliter ad hoc sacramentum accedatur: nam hoc sacramentum institutum est ad suscitandos mortuos: ergo hoc ipso ex se non requi-

*at.
Non dari
præceptum
negatiuum
no recipien
di hoc sa
cramentum
cum consci
entia mor
talis sine cō
tritione,
suadet.*

18.
Solutio
ha.

28.
Solutio
ha.

Dici vero etiam potest, non oportere, ut in illo ultimo instanti attritio duret, sed ex efficacia sacramenti fieri, ut relicta attritione, homo ascendat ad contritionem, vel dilectionem super omnia, satisq; esse ad rationem dispositionis moralis, quales sunt dispositiones sacramentorum, quod immediate antea, vel tempore proximo præcesserit, & relinquat dispositum subiectum ad effectum sacramenti recipiendum. Veruntamen hæc etiam responsio eadem ratione, qua præcedens, reiecienda est. Nam licet id, quod affirmat, simpliciter non repugnet: tamen etiam est sine fundamento dictum, & præter communem legem sacramentorum, quæ licet non requirant actualem dispositionem in instanti, quo conferunt effectum, nunquam tamen postulant carentiam, vel mutationem talis dispositionis, ut suos effectus operentur. Et præterea, propter difficultatem supra tactam circa infallibilitatem talis effectus. Item, quia alias tenerentur homines, vel non accedere ad hoc sacramentum, nisi cum vera contritione, quod falsum esse statim ostendimus: vel, si accedant attritio, magnam diligentiam adhibere, ut non distrahantur tempore absolutionis, ut non impediatur efficaciam motionem ad contritionem, vel amorem super omnia, alias ponerent obicem effectui sacramenti. At hoc etiam falsum est, tum quia communiter in Ecclesia non agnoscitur talis obligatio: tum etiam, quia alias attritio iam non esset sufficiens dispositio ad efficaciam sacramenti, nam, præter aliam, esset necessaria specialis aduertentia & attentio poenitentis. At è conuerso, si attritio per se esset sufficiens dispositio ad totam efficaciam sacramenti, ipsum sacramentum sua virtute deberet dare & attentionem, & omnem motionem necessariam vel efficaciam contritionis.

*Fundamentum duarum priorum opinionum
destruitur.*

Accedit, quod duæ priores sententiæ nullo firmo fundamento nituntur. Nam falsum est, Deum non posse peccatum remittere sine proprio motu peccatoris; estque hoc magis improbabile intellectu de perfecta conversione peccatoris, & de potentia absoluta, ut supra tractando de virtute poenitentiae ostensum est: de potentia vero ordinaria est id verum extra sacramentum, non vero cum illo. Vnde talis conuersio per veram contritionem iam non est medium simpliciter necessarium ad salutem, sed tunc solum quando non potest hoc sacramentum applicari, vel quoties de facto non applicatur, ut remissio peccati mortalis statim confertur. Neque hoc est contra legem naturæ, sed est quedam maior gratia, quæ propter Christi meritum iam exhibitum, nobis fit, quam antea facta fuisset, de qua gratia sufficienter nobis constat ex verbis Christi dantis sacerdotibus specialem potestatem ad remittenda peccata. Dices, non obstante hac potestate, est necessaria aliqua poenitentis interior ad obtinendam remissionem peccatorum per illam potestatem. Respondetur, Poenitentiam aliquam

Fr. Suarez, tom. 4.

requirit talem dispositionem, quæ mortem expul-
 rit, sed talem quæ sufficiat ut sacramentum ipsum
 mortem expellat. Unde non potest dici aliquis indi-
 gne accedere ad hoc sacramentum, eo, quod in pec-
 cato accedat, si venit ita dispositus, ut in gratia con-
 summetur; sic enim non indigne, sed sancte tractat
 quæ sancta sunt. Quod aperte confirmatur exemplo
 baptismi, in quo veritas hæc certior est, ut in pro-
 prio loco declarauimus. Est autem quoad hoc ead-
 dem ratio de hoc sacramento, quia etiam est sacra-
 mentum mortuorum: secus vero est de reliquis quæ
 dicuntur sacramenta viuorum, & specialiter in Eu-
 charistia id late declarauimus, & infra circa Extre-
 mam vñtionem aliquid attingemus.

42. Posterior autem pars sufficienter probatur ex eo,
 quod neque ex Scriptura, nec traditione, neque ali-
 quo Ecclesiastico decreto ostendi potest tale Christi
 præceptum: nam, ex his omnibus principiis solum
 habemus, penitentiam interiorem esse necessariam
 ad consequendam veniam, etiam per sacramentum.
 Concilium autem Tridentinum satis declarauit
 nomine penitentis non solum contritionem, sed
 etiam attritionem comprehendit: euidenterque id
 ostenditur eodem exemplo baptismi. De quo Apo-
 stoli prædicabant, *Penitentiam agite, & baptizetur v-*
nusquisque vestrum: & nihilominus certissimum est,
 ibi non esse propositum speciale præceptum habendi
 contritionem, ante susceptionem baptismi, ergo
 neque ante absolutionem. Nullum ergo extat de
 hac re præceptum: nulla ergo necessaria est excusa-
 tio de non habita contritione: impertinens ergo est
 existimatio contritionis. Et confirmari hoc potest:
 quia iuxta probabilem opinionem diui Thomæ,
 Eucharistia, (& fortasse id est de cæteris sacramen-
 tis) confert gratiam homini attrito, quando bona
 fide accedit, putans se esse contritum: ergo aliquid
 amplius dandum est huic sacramento, quod per se
 institutum est ad remittendum peccatum mortale.

Obiectiones contra præcedentem Af-
fectionem.

23. Sed obiicit, quia sola attritio non est vera dete-
 ctatio offensæ diuinæ: ergo non potest esse suffi-
 ciens dispositio ad iustitiam, si cognita sit. Item, quia
 actuale peccatum, ad quod delendum hoc sacramen-
 tum est institutum, est voluntaria auersio à Deo, er-
 go per se requirit perfectam conuersionem in ipsum
 Deum, quæ fit per solam contritionem: ergo non
 potest digne accedere, qui illam conuersionem volun-
 tarie omittit. Denique, quia alias posset homo esse
 tam certus de remissione peccatorum in hoc sacra-
 mento, quam est certus de sua contritione: potest
 autem esse de sua attritione certissimus, quia mani-
 festo experimento illam nouit; ergo & de sua iusti-
 ficatione, quod est absurdum.

24. Hæc vero difficultatem non habent. Nam pri-
 mum & secundum argumentum, si valida essent,
 probarent attritionem nunquam esse sufficientem
 dispositionem, etiam si intercedat existimatio con-
 tritionis: quæ, ut dixi, hæc existimatio non reddit i-
 psam dispositionem meliorem. Probarent etiam,
 attritionem cognitam non sufficere in Baptismo.
 Nam quod ait Soto, baptismum esse institutum pro-
 pter delendum originale peccatum, propter quod
 contritio necessaria non est, & ideo non esse similem
 rationem de illo, non recte dictum est: tum quia, li-
 cet baptismus sit primario institutus propter origi-
 nale peccatum, non tamen propter solum illud, sed
 etiam propter mortalia: ergo tunc eadem est de illo
 ratio. Tum etiam, quia, licet baptismus per se non
 requiratur attritionem, quando homo adultus non
 habet nisi originale peccatum; tamen secluso ipso
 sacramento necessaria esset in tali homine conuer-

25. fio in Deum per amorem super omnia, ut posset ius-
 tificari, & nihilominus quamuis quis sciens, & vi-
 dens baptizetur sine tali amore, per baptismum ius-
 tificabitur, ergo est eadem proportionalis ratio.

Respondetur ergo ad primum, attritionem, quæ
 25. non fit formalis detestatio peccati quatenus of-
 fensa Dei est, esse tamē veram detestationem ipsius.
 Ad 1. met offensæ diuinæ, sub aliqua ratione honesta, &
 supernaturali, ut postea dicemus. Ideoque, quamuis
 ex se non sit sufficiens, habet sufficientem propor-
 tionem, ut ab ea procedat vera accusatio peccati:
 nam in confessionem exteriorem non cadit prop-
 prie illa formalitas, seu reduplicatio, quod fit de of-
 fensa Dei, quatenus offensa Dei est, nam confessio
 exterior non respicit hoc motuum, neque hoc spe-
 ctat ad externos actus, sed ad internos: est ergo con-
 fessio de ipsa Dei offensione, quam homo recognos-
 cit & fateretur, sufficienter ergo procedit ab attritio-
 ne. Ad secundum respondetur, perfectam conuer-
 sionem in Deum per proprium actum peccatoris
 26. necessariam esse, seclusa institutione, vel vsu huius
 sacramenti: quando vero illud applicatur, per eius
 efficaciam suppleri, quia Deus per id infundit suam
 iustitiam, quæ hominem interiùs reificat, & habi-
 tualiter conuertit in Deum. Tertium argumentum
 Ad 2. nullius momenti est, quia veritas sacramenti, à qua
 iustificatio pendet, ex multis aliis capitibus potest
 esse incerta, ex intentione ministris, ex iurisdictione,
 ex vera ordinatione, ex veritate baptismi, quæ ex
 parte vtriusque, scilicet penitentis, & absoluentis
 necessario supponi debent, ac denique ex debita di-
 ligentia ad integram confessionem faciendam. Quod
 si hæc omnia supponantur certa, nullum est incon-
 ueniens, quod penitens sit tam certus de sua iusti-
 ficatione, quam est certus de sua attritione: hæc enim
 certitudo nunquam est tanta, quin admittat formi-
 dinem, quia homo non inuenit suam attritionem,
 nec euidenter discernit qualitatem, aut motuum
 sui doloris: sed est quædam certitudo, quæ ad pacē
 conscientiæ possit sufficere, & ad prudenter depo-
 nendos serupulos, & tollendam conscientie anxie-
 tatem: hanc certitudinis modus etiam de ipsa
 iustificatione per sacramentum haberi potest. Nam,
 sicut non obstat efficaciam sacramentorum vnul-
 quisque potest de sua dispositione formidare, ut
 Tridentinum dixit sess. 6. cap. 9. ita ex huius sacra-
 menti efficacitate, si penitens morale diligenti-
 am adhibeat, consequi solet pax & conscientie
 serenitas, ut idem Concilium dixit sess. dec. quarta
 cap. tertio.

Et per hæc satisfactum est fundamentis tertie sen-
 tentiæ. Et ex concessis à Nauarro, & aliis qui magis
 consequenter loquuntur, practicum argumentum
 desumere possumus. Nam negare non possunt, quin
 hæc opinio, quam defendimus, practice ac morali-
 ter probabilis sit: ergo qui iuxta illam confiteretur
 eum attritione cognita, non peccat: ergo recipit ef-
 fectum sacramenti: ipsi enim concedunt, & merito,
 quacunque ratione excusetur peccatum, non impe-
 dir effectum sacramenti.

SECTIO II.

Quæ attritio necessaria sit, & sufficiat ad huius
sacramenti effectum.

IN resolutione præcedentis sectionis diximus, ve-
 ram & supernaturalem attritionem peccatorum
 omnium esse sufficientem dispositionem ad effe-
 ctum huius sacramenti consequendum. Nunc ex-
 plicandum à nobis est, an talis attritio sit etiam ne-
 cessaria: quod recte faciemus discurrendo per illas
 tres particulas, vera, supernaturalis, & integra: nam in
 singulis aliquid dicendum occurrit.